B. N. C.
FIRENZE
1139
8

# ETRVRIAE LAVS

*Sereniſsimo Magno Etruriæ Duci*

*FERDINANDO II. DICATA*

LEPIDO MACCABRVNO
DECANO SENENSI AVCTORE.



SENIS, Apud AEmilium Bonettum. MDCXXVIII.
*Superiorum permiſſu.*

1139.8

# SERENISS. MAGNO DVCI
# FERDINANDO II.
## CLEMENTISSIMO DOMINO,
### *LEPIDVS MACCABRVNVS.*

ETRVRIAE laudum coronam, obſcuri licet opus artificis, nobili tamen materia refulgentem, tibi Magno Etruſcorum Principi Sereniſſimo FERDINANDO, reuerenti offerre animo eo conſilio ſtatui, vt propriam frontem, ipſa prima ſuſcipiendi Imperij die non ſolum redimires, ſed cum ad ſanandam Rempublicam ex ſententia Platonis non corporum, ſed animorum Regendorum officium aſſequi debeas, ipſa Etruſco Magno Duci Etruriâ remedia præbeat, adæquantur enim domeſticis infirmis indigenarum probata ingenia

& in notis fœlicior experientia creditur. Si igitur Regni ſibi crediti antiquiſſimum ſtatum, ingenuam nobilitatem, adultas iam multis ſeculis vires, atque incorruptos mores, quę vnica Prouincię delineantur imagine, Princeps ipſe dignoſcat, optimo erit conſultum regimini. Accipe Maxime Princeps approbatiſſimis viris prolatum noſtræ Etruriæ iudicium, quod edere non recuſaui, vt ij, qui ante te tui ſanguinis progenitores extitere renouati, in Filij ſplendore refulgeant, Regiaque ipſorum proles Ianigenas, Coritos, Tuſcos, Lucomones, Etruriæ Reges, quotquot illi contemplandos proponimus, gloria, ac maieſtate ſuperaſſe appareat, memor quòd ſicut primigenium totius Italiæ, FERDINANDE, hereditaſti Imperium, ita te decet animi magnitudine, ac Sapientia eorum, qui modo in ea regnant Principum eſſe primogenitum.

# ETRVRIAE REGVM NOMINA

*Qui Prouinciam ſub Regni titulo tenuerunt, à Iano vſque ad Prolartem Turrhenum, ſub quo Etruſcum defecit Imperium.*

IANVS qui Ianiculum in Tuſcia condidit Anno Nini Aſsiriorum Regis vigeſimo ſecundo.
Sabatius à Iano deſcendens cum eo regnauit Anno Semiramidis Aſsiriorum Reginæ 12.
Cranus Rex dictus à Iano Progenitore.
Aurunus Crani filius, qui in Vetulonia lucum ſacrauit regnante Aralio ſeptimo Aſsiriorum Rege.
Malot Tages Auruni Filius, hic ritus ſacros a Iano traditos reſtituit.
Sicanus a quo Vetulonia regio.
Oſiris Italia a Gigantibus liberata Regem Ianigenis etruſcis reliquit Leſtrigonem Gigantem eiuſdem ex Neptuno nepotem.
Hercules Oſiris Filius, cui cognomen libius leſtrigonibus eiectis 30. annis regnauit in Etruria.
Tuſcus Herculis, & Arianæ Filius.
Alteus Tuſci Filius.
Kitim Althei Frater; quem Ianigenæ ob mentis excellentiam Italum vocauerunt.
Morgetes Itali Filius.
Campoblaſcon Morgetis cognatus.
Iaſius Filius campoblaſconis.
Corybantus Filius Iaſij, hic corybantus cum Cibele ordinata Dinaſtia duodecim Ducum, duodecim Populorum qui eſſent ex Ianigenis, in Phrigiam nauigauit, ſub Aſcatade 18. Aſsiriorum Rege.

Turrhenus ex Herculis prognatis regnauit apud Etruſcos ſub Egypto primo Egypti Rege.
Tarchon priſcus.
Abas à quo Abij in Tuſcia.
Olanus.
Veibenus ex familia Vetulonia.
Oſcus ex familia Veia Vetuloniæ cui inſigne fuit Serpens.
Tarchon ſecundus.
Tiberinus ex familia Veia Vetuloniæ.
Mezzentius de quo meminit Virgilius.
Tarchon iunior, qui tempore quo Aſcanius latinis regnauit..
Ocnus Bianor Mantuæ conditor illuſtris.
Pypinus.
Nicius Feſulanus.
Piſeus Tuſcus Pirata.
Tuſcus Iunior.
Amnus.
Felſinus.
Bon. à quo Bononia Vrbs dicta antea Felſina.
Marſias.
Etalus.
Cælius à quo Cælius Mons Romæ dictus, in ſocietatem a Romulo aſcitus.
Galeritius.
Luxius Tuſcus.
Cibicius.
Lucomo Cluſinus.
Rhetus.
Velus.
Porſena Cluſius.
Tolumnius veiens.
Eques Tuſcus.
Liuius Fidenas.
Elbius Tuſcus.
Prolartes Turrhenus.

VNIVS venuſtiſſimæ Prouinciæ Etruriæ ſplendidiſsima facies, Regij capitis lectiſsima membra, indita Regum Reginæ cæleſtis maieſtas, ita illius rapiunt amantem, vt à dulciſsimis, meritis tamen, temperare laudibus non valeat; occultis enim amorum ſtimulis, mirabilem eius effigiem virgini ac rudi penicillo delineare impellitur, quamuis etereum in Etruriæ laudatione ingenium cæleſtis memoria; vniuerſæ vſq; ad extremam aciem expolitæ eloquentiæ genus, vt muneri; quod aſſumitur ampliſsimo ſatisfiat, expoſcantur, difficile enim eſt per anguſtam hanc, & lubricam, ſentibuſq; adulationis obſitam laudationis viam, virum rectum, virtutumq; omnium viribus præpotentem ad extremum gloriæ exitum viuentem oratoris manu perducere, aut efferre in veritatis feretro iam mortuum, difficile magis vnius familiæ glorioſiſſimum, atq; ornatiſſimum, ſeruato orationis ordine manipulum ducere. longe vero difficilius integram vnius celebris optimeq; inſtitutæ Vrbis, victorijs illuſtrem per non adequatum, apertum tamen exornationis iter deducere legionem. Sed omnium difficillimum vnius Prouinciæ numeroſiſſimum exercitum ſub omnium virtutum diſciplina militantem, viribus præpotentem, victorijs ferociſsimum, vni laudatrici linguæ, quaſi ſupremi Ducis imperio parentem, per latiſsimos gloriæ campos ad victoriæ premia incitare,

*Prouinciæ inquam, quæ primam antiquitatem redoleat, latiſſimam Regni maieſtatem preſeferat, veræ, optimæ, atque preſtantiſſimæ Christianæ Religionis magiſtram ſe ſe oſtendat. Equidem fateor tanto me ſublimiorem laudandi prouinciam aſſumpſiſſe, quanto nobilior eſt Prouincia de qua dicturus ſum. Non Demoſthenis igitur, aut Ciceronis eloquentiæ luminum claritas par erit ad illuminandam Etruriæ deſcriptionem, ſed Hiſtoriarum Principum Zenophontis ac Liuij ſolaris fulgor ad illuſtrandam viam ituro per ampliſſimas prouinciæ laudes exquiretur. Nam ſi Etruriam Prouinciam omnium antiquiſſimam, Etruſcos Primigenios, ſoloſq; in Italia ingenuos, nullo aduenarum ſanguine permiſtos, ſi inquam Prouinciam Christianæ Religionis centrum, Imperij Regiam, ſacrarum ceremoniarum ſcholam, diſciplinarum Muſæum, militiæ Magiſtram, optimorum morum regulam appellauero, parum dixero, niſi etiam addam illam eſſe pulcritudinis imaginem, ſedem ſapientiæ, heroum propaginem, & vt vno verbo abſoluam compendium orbis. Unus videtur etruriæ felicitati deeſſe cumulus, laudatore deficiente eloquentiſſimo, gratus Auditor; aderit vero, ſi Italus communes laudes, proprias Etruſcus, atq; domeſticas obſeruaturus accedat, qui balbutientem etiam indigenam, in domeſtica cauſa loquentem patientibus auribus intelligant. Noſtræ igitur Prouinciæ antiquitatis ingenuæ impreſſa veſtigia, Religionis incorruptæ expreſſa imagines: Imperij per vniuerſum Orbem diffuſa monumenta,*

*menta ſapientiæ, ſacra exquiſita, dotes; quas viri Principes Etruſci ſingulis ſeculis repræſentarunt, fecundæ vbertatis ſereniſsima facies, ſi vnico orationis circulo comprehenſa, prudentum oculis repræſententur, non virorum vulgarium, ſed heorum, non mortalium, ſed Deorum ſedem Etruriam nos acceßiſſe laudaturos vtiq; credent, etruſco vero ſi de natali ſolo, dicam verius de communi omnium fulgentiſſimo Sole, ſolus ieiune loquatur, parcendum erit, cum domeſtica Patriæ laus in ciuis ore, licet vera, ſuſpecta tamen appareat.*

*Italiç, vt ab antiquitate exordiamur, omnium gentium Reginæ, orbis primogenità vnigeniti etruſci, quos Turrhenos in eorum infantia, Tuſcos in adoleſcentia appellauit antiquitas, non à Lydis originem, aut ab Herculis, & Omphalis prognato Turrheno ſanguinem traxerunt, vt Græciæ, Italiæ emulæ, finxere mendacia: ſed altius repetitis natalibus, Italiæ inter Grecos, Arcades, Venetos, ac Ligures aduenas: atq; inter Ardeades, Rutulos, Siculos, atq; Pelaſgos exteros, & inter Iapiges, Lacedemones, Salentinos, ac Pelios aduentitios, ipſoſq; Acheos, Oropitas, Pilios, & Piſeos, Italiæ priuignam progeniem ſoli indigenç, naturalis ſoboles, legitimi Filij ſatis probato omnium ferè gentium antiquißimo teſtimonio creduntur: vetuſtißimç propaginis Turrhenæ. Jano quem Iaphetum, vel alium proxime a Noe deſcendentem arbitramur, poſt vniuerſalem eluuionem in Tuſcia auctore. Hic eſt ille Ianus, Auditores quem illuſtrem Ogigem Ægypÿ, Etruſci lingua eorum Saga, quam a colla-*

*ſtaneis Armenis auxerunt, Ianis vadymona appellaue-
runt. Jure igitur hos Etruſcos Romani, & ſi in partien-
da ceteris gentibus gloria auariſsimi, omnium Populo-
rum principes fatentur eſſe vetuſtiſſimos, & aureo ſeculo
natos, ac Turrhenos a Principe Turrhena Vrbe; Etruſ-
cos ab eorum Thętrapoli Etruria, ad eternitatem ędifica-
ta ciuitate, dictos, a quibus Aras, ritus, diuinationes, ac
diſciplinas priſcam illam teſtantur habuiſſe Italiam, Ro-
manam cumulatiſsime auxiſſe ciuitatem agnoſcunt. Ja-
nus enim ad leuam Tiberis Etruriæ tenens locum, colo-
nias primum expoſuit, & in Vaticano colle religione ce-
leberrimo, maieſtate auguſtiſsimo ſedibus conſtitutis, ibi
Deorum Princeps eſt habitus. A Vaticano felici progreſ-
ſus deſcensù Turrhenam Coloniam, non longe a regia ſe-
de dicauit; vbi ad ſalutandum Regem duodecim Colonię,
quas extruxerat, vt conuenirent, edixit, quibus opti-
ma prouidentia ſingulis faſces ad continendos rudes,
cum vnico prætoriano lictore, ac vigintiquinque inge-
nuis militibus diſtribuit; quod temporum ſucceſſu Ro-
mana Reipublicę maieſtatem manifeſtaturum erat. Co-
loniæ quę fuerint ipſa vetuſtas docet, quæ & ſi non om-
nium altiſsimas moles, cunctarum tamen ad æternitatem
ſeruatum nomẽ produxit: eas vero Tiberis, atq; Arni re-
giorum Fluminum ripæ, Tirrheniq; maris litora, ipſaq;
mediterraneæ Etruriæ regio repreſentarunt. Ad Tibe-
ris quidem ripas Ianiculum, Arim, Ianum; ad Arni flu-
enta Feſulas, & eiuſdem nominis Arim, & Janum.
Juxta Etruſcum litus Phercgellas, Volaterras, lunam:*

*Jn mediterraneis Aretium, Roſellas, Vulſinium oſtendens. Mirabilis plane res vt hec pretioſiſſima duodecim Coloniarum corona, a principe illa, qua conditoris reuelato diuinitus exemplari, non in ſolida petra, aut in ſtabili ſolo, ſed influctuantibus vndis, non lapideis ædificys, ſed leuigatis clauſa lignis, vt in ea vniuerſum genus humanum, quibuſdam quaſi cancellis includeretur, excitata temporanea eſt Vrbs, ipſius Iani artificio formam retraxiſſe credatur.*

*Aſiæ ditiſſimi populi ſua vetuſtiſſima, aureoq; ſeculo nata, miro hiſtoriarum circuitu; ne dicam fabularum delirio, celebrant Regna Babilonicum, Aſſirium Medicum, atq; Perſicum, quæ ditione Mundi optimam partem, diuiſione quidem tertiam, ſed terrarum dimenſa ſpatio, populorum dinumerata frequentia dimidiam, centum viginti ſeptem quæ aliquando complecteretur Prouincias, contineret. Quorum ſceptris Aſiæ Reges, ſatrapæ, atq; Tyranni genua flecterent, Tiaraſque demitterent, Indique extremi orbis accolæ tributa penderent, non tam potentiæ maieſtate, quam antiquitatis veneratione conſpicuis, iſtorum Regnorum primitias, ac præcoces fructus fatemur, ſecundo ſeculo poſt purgatum ab vniuerſali alluuione Terrarum Orbem, quaſi primas erumpentes gemmas apparuiſſe, ex Nembrothi robuſti illius venatoris feliciſſima Babilonici Regni planta conſita in campo Senaar. Turrhenorum tamen Regnum ipſo Iano auctore excitatum libere fateri non erubeſcimus.. Hic enim felix nobiliſſimæ prolis parens, ex Gordieo*

*Armeniæ monte, in cuius vertice fatalis illa Nauis, quæ humanum ferebat ſemen, quieuit, inlatiſſimam ſubiectam planitiem deſcendens, ſui generis principes viros deſtinatos ad partes, vbi ſedes figere deberent, hortatus eſt, vt Vrbes edificarent, populiſq; implerent Prouincias; ſolus ipſe per vniuerſum Orbem Colonias ſe traducturum pollicitus. Inde diſpoſito Sagarum in Armenia Regno, ab illo diſcedens ad regendam Sereniſſimam regionem Kitim, quam poſteriores Italiam ſublimiori nomine appellauerunt, profectus, Etruſcorum æternum ferè Regnum, diuino planè ſenſu inſtituit: Ideoq; hec duo primigenia Regna, Armenum, quia ibi Iani regnatoris primum viſa eſt poteſtas, Italicum hoc eſt Turrhenum vbi illuſtris conditor Principatus, Regni ſedem figens, cum vita glorioſus terminauit imperium, Scythæ, atque Armeni, apud quos antiquiſſimam Beroſus commendauit hiſtoriam, quaſi conditoris nobilitas præclariorem conuincat originem, ſubliuremq; preſtantiam indicet, in prima regnorum ſede Armenum, & Etruſcum Regna condita collocanda eſſe non dubitarunt.*

*Si enim Babilonici Regni à duratione, numeroque Principum magnitudinem, atq; claritatem æſtimemus, hoc potiſſimum argumento nos eſſe demonſtraturos credimus, abſq; veritatis obumbratione, omni aſſentationis nube deducta a Turrhenis Regibus Aſſiriorum vinci Monarchiam. Beroſi qui vniuerſam caldæorum deflorauit hiſtoriam, Manethonis ægyptij, cuius ad Beroſum legitur eruditiſſimum ſupplementum, Metaſtenis Perſæ,*

*qui eiuſdem inuictiſſimæ Geniis floridiſſima Annalia mira eruditione deſcripſit, ſi temporum Regumq; diſtinctionem, regulato ordine repræſentatam obſeruemus, Babilonios, Aſirioſq; Reges à Nembrotho vſque ad Darium Medum, cuius meminit ſacra Historia; ſub quo Aſiriorum occidit Monarchia, ad Medos, Perſaſque translata, longiſsimam quidem Principum ſeriem, multiplicata ſecula hęc reputari haud negaturi ſumus; ſed breuiora quidem ſpatia, ſi latitudinem Etruſci metiamur Imperij. Hoc enim à Iano paulo poſt Mundi ex aquis reparationem inſtitutum, & à Sabatio poſt eum, qui Etruſcorum Coritus ianigena lingua dictus, Turrhena vero, ac latina Rex eſt appellatus, in Regnum redactum, ex Ianigenis Turrhenis, atq; etruſcis Lucomonibus longam quadraginta octo Regum ſeriem, vſq; ad traditum per manus, ammiſſo Regno, Romanis imperium Etruriæ enumerat. Non eſt igitur cur dubitemus Perſarum, Medorumque alternum Regnum, & numero regnantium, atq; Annorum ſpatio, in quo Aſſirijs, AEgyptijs, omnibuſq; minoris Aſiæ Populis Bactris, ac penitus orbe diuiſis Indis iura dedit, facile Etruſco ceſſiſſe: AEgyptum credimus Abrhami Hebręorum Patriarchę tempore ſuos habuiſſe, qui illius populos regerent Pharaones, quia hoc nobis ſacra inſinuat hiſtoria; Quorum ſeriem, & ſi per ſanguinis ſucceſſionem propagatam, ac per Dinaſtias prorogatam numeremus vſq; ad Cambiſis Perſarum Regis Monarchiam, ſub qua ægyptiorum Regnum defecit, tanto ſeculorum ſpatio Iani præceſſiſſe Regnum, ac pecu-*

*liare ipſius etruſcum poſt ipſum ſtetiſſe affirmamus imperium, quanto hoc vetuſtius, ac diuturnius illo dignoſcitur. Macedonum nobiliſſimum Europæ Regnum, quod extremis ſuis temporibus orientis obtinuit Monarchiam, sub Alexandro Magno breuiſſimam, ſi cum etruſco, Beroſo probatiſſimo hiſtoriarum ſcriptore iudice, contendat; facile ceſſurum pronunciandum erit. Sub Belocho enim decimo Aſſiriorum Rege primum gentis habuiſſe Regnatorem Oſiridis filium Macedonem, caldai ſapientes affirmant, dum etruſcis Leſtrigon, eiectis ad tempus legitimis Regibus, violenter imperitaret: Dardaniæ Troadum Regnum, quod Homeri egregio illuſtratur elogio, Maronis heroico celebratur verſu, ſub Aſcatade Babiloniorum Monarcha cœptum eſſe antiquiſſimi probant Auctores, cum tamen altiora etruſci ſui imperij principia repetant. Aſiæ igitur Monarchiæ, nobiliſſima Europæ Imperia, Africæ fecundiſſima Regna, ſi quæ ingenua extollũt hiſtoriꝫ, Etruſcum maxime in veneranda, ac recondita antiquitate, vti ſacrum, omnibuſq; colendum repoſuerunt Principatum; atque Aboriginum celſiſſimo Regno, quod diuerſis grauidũ imperijs, Latinum primum, Albanum ſecundum. Romanum poſtremum, in quo omnem vim ſuam effudit, feliciſſimo partu edidit adæquarunt. Jn hoc vno indigenæ aſſentiendum eſſe etruſco ſacerdoti crediderim, ſi Romanæ prima incunabula Vrbis, adhuc vagientis in Vaticano etruſco Colle recondita fuiſſe affirmet. Huic addere liceat vltra Vaticani ſedem Cœlium ex ſeptem collibus alterum à Romulo*

*etruſco Regi Cęlio ad habitandum fuiſſe conceſſum.*

*Nec liuorem ingenuis excitet Romanorum pectoribus, ſi vnum adijciam Etruriæ laudibus antiquitatis argumentum, affirmando deuictis Sabinis Romanam iam tenentibus Tarpeiam Arcem, Galeritij Ardeatis lucomonis opera redintegrata pugna, quam ingens ſequta eſt victoria, tertium Romanæ Vrbis partem, cum Tatio Sabinorum, ac Romulo Quiritum Regibus incolendam in premium obtinuiſſe etruſcos. Et quia Aſilum apetuit Romulus, ad quem latini, Tuſciq; confugere paſtores, Mitridates Ponti Rex Romanis obiecit, quod vernę fuiſſent Tuſcorum, non intelligens, quod cum illuſtri Etruſcorum Populo, non ſpreuerunt ſua Communicare Romani principia.*

*Sed niſi antiquitatis claritudini Etruriæ imagini, quam vniuerſo orbi contemplandam exponimus, religionis addamus ſplendores, maieſtati eius haud erit ſatisfactum. Religionis ſi aliquis fulgor inceteris ſplenduit populis, alijſue aliquo modo illuxit prouincijs, radios, ſcintillantes à primo orbis reparati diluculo, ab illius ſerenitatis Parente Iano deriuatos aperiens Etruriam illuſtrauit; hũc enim Religionis ſolem effinxit antiquitas, geminum quidem, eo enim oriente ſacros apertos dies, eodem vero occidente clauſos exiſtimauit antiquitas.*

*Apud Babilonios à vera Religione Nembrothus diſcedens idololatriam diuinæ ſubſtituit veri, ac ſummi Dei adorationi, & ideo Caldeorum Sacerdotes adulterinorũ Numinum mirabiles effectores Saturnum Deorum pa-*

*reutem appellauerunt, maximo; quod pene exceperunt uniuerſæ nationes mendacio, filiumque eius Belum in Babilonico Regno ſucceſſorem Iouem, obſcuriſsimoq; poſteros decipientes equiuoco, hominum excogitata ad familiarum diſtinctionem nomina, ad Diuinitatẽ excolendam retraxerunt. Quid enim Saturni nomen apud illam agreſtem antiquorum turbam ſonat, niſi alicuius Regiæ Familiæ ſeniorem, cuius primigenius mas Iupiter, fæmina Juno, nepotes Hercules, ipſius vero Saturni Parens Cælum, coniuxq; eius Veſta appellarentur. Quot igitur Regum antiquiſſimas progenies enumerat hiſtoria, tot Saturnos, Joues, Hercules, atque Junones fuiſſe mentitus eſt Orbis. Jdeo Xenophon eloquentiſsimus ſcriptor, rethor hiſtoricus, Semiramidem mulierem ſpecioſiſsimam, Orientis Reginam, quæ militia; victorys, atq; triumphis omnes heroes Mares, clariſsimaſq; feminas ſuperauit, in Columna, quam viro ſuo Nino excidit, inſcripſiſſe refert. Mihi Pater Jupiter, Belus Auus, Saturnus Babilonius Proauus, chus Saturnus ethyops Abauus, Saturnus AEgiptius Atauus, Templum, Statuam Ioui, Belo ſocero, & Matri, Rhea in hoc Olimpo Semiramis dicauit. Uniuerſa hec gentilitatis iacta intelligimus, in argilloſo ſabulo vana Religionis fundamenta; ſupra quæ Saturno in Europa Phana extructa, Templa Ioui Ammonio, Olimpio, & capitolino dicata, Herculi impoſita Altaria, Apollini Delfico fatidico ſacra erecta Antra, Dianæ condita Delubra, alyſq; huius generis monſtris religioſe dicata fuere manſiones.*

*ſiones. Soli Turrheni Janum coluere, & Veſtam, quos lingua Saga Ianis Vadimona, & labith orchiam vocauerunt. Et quaſi id ab Armenis, quos gentium poſt vniuerſalem eluuionem non veremur appellare primitias, acceperint omnium Deorum maiorum, ac minorum Patrem, humanę gentis auctorem, chaos, & ſemen Mundi, appellauerunt. Quæ omnia effinxerunt, vt veritatem velarent Religionis, non vt ſuo Iano tribuerent diuinitatem, cum eſſet ille a primo Parent genitus, abeo, vera profero; qui ex limo creatus eſt ... tempore, moriturus, & propterea vt virum moribus ſanctiſſimum, incorrupta ſapientia conſpicuum, ſummo Deo religione addictum Illuſtrem ſacrorum Pontificem denominauerunt. Non mirum igitur ſi Turrheni ab adulterina religione ceterorum hominum ablactati, non longe a veritate deuiantes adumbrati Numinis coluerunt imaginem. Hunc vero Janum religionis ſolem effinxerunt geminum, quaſi eo oriente ſacri aperirentur dies, eodemq; occidente clauderentur. Jdeoque per hanc ſacram Iani Ianuam, quaſi per portam ſupplicum preces ad Deos tranſmitti crediderunt.*

*Altius repetito archetypo, à religionis argumento non recedentes, mira Iudaici Templi imago, ante ſacula in Diuina formata Idèa, Salomonis ſaculo inter Mundi miracula, vere miraculum viſa eſt in monte Sion. Jterum Diuina Prouidentia, cæleſti iudicio, æterna diſpenſatione ante Mundi ex nihilo creationem deſtinata, Principi Apoſtolorum mirabilis in Vaticano Etru-*

*tiæ monte Baſilica apparuit. Vnius Paleſtinæ honos Templum primum eſt habitum, & ſummæ illius gloriæ aſcriptum eſt, quod ab AEthiopię, Aſiæ, AEgyptiq; Regibus fuerit maximis, atq; exquiſitiſſimis donis ditatum. Maieſtati Etruriæ conceditur, quod ſacris Vaticanis ædibus, quarum in proprÿs viſceribus iacta extulit ad Cælum fundamenta, vniuerſi Chriſtiani Orbis Principes munera offerant, coronas dedicent, corda voueant, tiaraſque demittant. Jn primo iudaico Templo Sancta Sanctorum oculis velata prophanis, diuino obſequio reſpondentia publica, priuataque Sacrificia, ſacro oleo vnctus Sacerdotum Princeps, Arca Teſtamenti, & ex auro mundiſſimo propitiatorium proponebantur: Jncenſi in eo, & ex Arabiæ theſauris deprompta odoramenta, atq; ad inſtar in Cælo conſpirantium aromatum confecti Thimiamatis fumus, ad ipſum Deum aſcenſurus proſpiciebatur. Sed maiorem gloriam Domus huius nouiſſimæ, pluſquam primæ factam eſſe cognoſcimus, in hac Vaticani exterius formata Baſilica repræſentatam. In ea enim ſpirituali, Diuinoque ſenſu, non Sancta Sanctorum vniuerſis inacceſſa prophanis, ſed Diuina Diuinorum conceſſa à Chriſto Vicario ſuo poteſtas, in hoc Templo ſummi Pontificis pectore includitur. Quæ vero ſint, quæ in hac cæleſti Aula explicantur ad æternitatem inſtituta Sacrificia, atque Sacramenta, non niſi Dominus ille eorum auctor, eiuſque in terris Sanctiſſimus Vicarius, Eccleſiaque ipſa Catholica, & Orthodoxorum Patrum ſenſus, ad veram Chriſtiano po-*

*pulo intelligentiam inſinuandam explicare valent. Sed quis huius Templi Sacerdotum Princeps? Supremus Catholicæ Religionis Antiſtes, vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcoporum Epiſcopus, qui ſolus ſeruus ſeruorum dici meruit, tanquā Vicarius illius, qui formam ſerui accipere, vt nos liberos faceret dignatus eſt, ſe ipſum exinanitæ humilitatis, verius dicam nihilitatis præbens exemplum. Hic ſpirante Paracleto, approbante Purpuratorum Patrum Senatu, venerantibus omnibus, qui cum Catholica ſentiunt Eccleſia, ipſis quoque obſeruantibus barbaris Vnctus, primogenitus, Pater Patrum, Sacrorum Pontifex Maximus enunciatus, Reipublicæ Chriſtianæ Diuino Oraculo Princeps electus, per amplius, & perfectius tabernaculum, non ſtatis diebus ſed toto vitę ſuę tempore intrat ſecurus in Sancta Sanctorum. Hoc in templo non Arca Teſtamenti in ſua maieſtate, ſed Angelus ipſe teſtamenti corporaliter quieſcit. Templum hoc non in monte ſancto Sion vni Deo à Sapientiſſimo omnium Rege Salomone, Sadoch, præſidente ſummo Sacerdote conſtitutum eſt, quadraginta millium talentorum auri ſumma erogata. Sed in Vaticano, quaſi in æternitatis Colle vero Numini, & Homini Ieſu Chriſto, in honorem Principis Apoſtolorum, à religioſiſſimo Conſtantino Auguſto, preſidente vniuerſæ Eccleſiæ Silueſtro Pontifice Maximo, ædificatum eſt. Et quia in hac Templi ædificatione omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, ex abiſſo Diuini ærarij deprompti reconduntur, quibuſ mirifice ditatur Eccleſia, non talento-*

*tum pondere, ſed diuinarum infinitate gratiarum eius penſandus valor eſt, atque æſtimatio. Hoc in Templo non Arabiæ incenſa, non Paleſtinæ ſtacten, non Sabæorum aromatum; ſed vniuerſi Orbis odoramenta Sanctorum, quorum fumus in conſpectu Dei aſcendit cremantur. Etruria in vera Religione, Antiquæ Iudeæ æmula, quàm etiam longè in agnitione veritatis ſuperauit, effugatis penitus vmbris, non ſolum Regiam Vaticanam Domum, ad quam vniuerſus Chriſtianus Orbis, iura à ſummo Chriſti Vicario petiturus accederet, intra ſuos fines excitauit, ſed Dei Genitrici Cælorum Reginæ, felici religionis progreſſu in tribus ſuis nobiliſsimis Vrbibus, Florentina, Senenſi, ac Piſana, mirabili ſtructura, quæ tamen à ſelectorum lapidum magis exornaretur materia, venuſtiſsimas ædificauit Baſilicas, quarum in vniuerſa Europa maieſtate pares mortalis oculus intueri non poteſt. Virgineo enim Mariæ Flori Florentia auguſtiſsimum Templum dicauit. Aſſumptæ in Cælum Virgini, & in maiori Eccleſia omnium venuſtiſsima venerata Sena vetus, ab Angelis titulum excogitatum aſſumpſit. Vtramque Vrbem Piſana Ciuitas æmulata, orientalium marmorum ditiſſima præda ſacras, & ipſa ſuas Virgini ædes dedicauit. Sacroſanctis velut præterea columnis Martyrum, ſublimiorumque Sanctorum miro fulcta præſidio Etruria regitur. Candidiſsimum enim ceu biſſinum Linum Pontificem, Petri ſucceſſorem, & in martyrio Comitem, Volaterra Eccleſiæ Romanæ ad ſacrificium præbuit, Donatum Ampliſsimum fides teſtem Martyrem*

*inclitum Eccleſiæ Aretium donauit. Anſanum certiſſima religionis anſam Senenſis præbuit Vrbs Romanorum Colonia. Herculanum, quaſi nouum Herculem Totilæ obiecit, ſacro vt placaret ſanguine monſtrum Peruſia. Theodorigi Catholicum ſitientis cruorem, Ioannes Senenſis Pontifex Maximus ſitim ſanguine proprio extinxit. Sed vbique paſſim per vniuerſam Etruriam Templa Spiritus Sancti emicant iuſtorum, quorum iam Cælum coruſcantes excipit animos, corporaque tanquam illuſtres gemmas ipſa orthodoxa conſeruat Eccleſia, ad totius Etruriæ ornamentum æternum. Communicat huic publico ornamento Florentia ſuum adamantem Zanobium, Sena Galganum quaſi virentem Smaragdum, Florentia iterum fidei coruſcantes geminos carbunculos Antoninum, & Philippum Nerium; alternatim Sena topatium Bernardini Eccleſiæ præbuit, & Catharinæ Saphirum. Quos vero AEthereos Etruria Eccleſiæ iudicio enumeret aſcriptos Ciues, vniuſcuiuſque fertiliſſimæ Sanctornm Prouinciæ nomina, publice deſcripta in libro vitæ manifeſtant. Satis ſit affirmare nullum fuiſſe Sanctorum genus, quod non celebres Etruriæ Vrbes, non caſtra, non vicos, anguſtaſque villas illuſtrauerit, vt merito Sanctorum domicilium meruerit Etruria appellari Beatorum Areopagum.*

*Etruria nobiliſſima prouincia, ingenua coruſcans antiquitate, probatiſſima conſpicua religione, quaſi ſuo iure ampliſſimum expoſceret imperium; Sanctitati, ac pietati promiſſum, antiquiſſimæ debitum nobilitati, hoc*

*diuinitus aſſecuta eſt, Deiq́ munere priſcis, & aureis illis ſeculis accepit. Regia enim eius corona Romanorum luſtra, Græcorum olympiades, Caldæorum elaboratas temporum ſupputationes non ſolum præceſsit, ſed maieſtatis, ac Potentię exceſſu fere ſuperauit. In Europa dominari, in magna apud Grecos, alioſq; populos exiſtimatione fuit, iura græcis dicere in maximo habitum eſt honore, at in Italia regnare munus creditum eſt pene diuinum. Hoc autem datum eſt ſingulari priuilegio Etruſcis, vt non indigenis tantum imperitarent, ſed vt Regni relaxatis habenis togatę, atq; comatę Gallię populis dominarentur, & ad Larium vſq; aureum Lacum, Valerijſque ſub Alpibus ad Turrhenam vallem; de qua ſummi olim Europę Reges contendebant, & à Sarno Campaniæ feliciſſimo flumine vſque ad magnam Græciam, Italięque extrema littora Imperium protenderent, & nomine regnantis Etruriæ vtriq; ſupero, atque infero Mari nomen dederint perpetuum. Teſtes produco ad hoc inſinuandum, antiquiſsimas, atq; florentes Italiæ Vrbes Veronam, Verę familię Etruſcę Coloniam, Mantuam ab Etruſcis ædificatam, Bononiam aliquando Tuſcorum Regum ſedem, Padum in partes, Etruſcorum opera deriuatum, Capuam Romanæ æmulam Vrbis, à Capi Etruſcorum Regnatore conſtructam. Sed quid amplius ad Etruriæ olim dominantis gloriam, eiuſque potentiæ imaginem repreſentandam excogitari potuit, quam quod Triumphatores Romani in Vaticano glorioſiſsimo colle, quem ſuis limitibus claudit Etruria, neceſſaria*

*ad pompam paraturi in territorio triumphali, ex Senatus conſulti Decreto expectarent ab Etruria auſpicaturi imperium. Quaſi igitur hanc ſingularem gloriam ſola mereretur Etruria ab ipſa velut alibi non eſſet triumphi ſedes, locus precario petebatur, & hoc adeo ſeruatum eſſe cognouimus, vt triumphos omnes, quos ab incunabulis Vrbis incepiſſe, & ad Probum vſque Auguſtum productos terminaſſe teſtatur antiquitas, tercentoſque, ac viginti enumerat, in tanta rerum atq; imperij euerſione, in tanta Principum, ac Tyrannorum inſolentia, in tanta ſedium, ac locorum mutatione, quantam penè ſinguli fecerunt imperij moderatores, neminem fuiſſe legamus preter duos Papirios Curſorem, & Maſonem, qui ab Etruria ex Vaticano ſuum non fuerit auſpicatus triumphum. Sed cum in hoc triumpho ſignatum aurum, & argentum, precioſiſsima queque vaſa, indicæ, atque orientales gemmæ, exquiſita ſupellex, ſtatuę, ſigna, aliaq; ſplendida ornamenta, captiui Duces, arma militariaq; vexilla, & ſupremus Hoſtium Dux reuinctus catenis præcederent currum, currus tamen in quo triumphator eleuatus vehebatur, formam duarum rotarum ab Etruria receptam nunquam vero mutatam à Romanis accepimus. Quoties igitur inſtituebatur triumphus, ſimul cum victoribus Romanis, ipſa Etruria maximam, ac præcipuam in eo ſibi vendicans partem, perpetuo in ſuo curru triumphabat, in hoc ab Etruſcis petito, verius dixerim commodato triumphali inſtrumento, Camillus Patriæ liberator captiuæ triumphans, vrbem eſt ingreſſus*

albis equis. In hoc triumphauit Curſor de Samnitibus, in hoc Liuius Salinator, qui tamen duobus tractus equis ouantis collegæ Neronis in ſolo ſedentis equo gloria ceſsit. Hunc currum Scipio Africanus aſcendit, ille inquam Scipio, qui inuictum Annibalis animum iam non ſolum Italiæ, ſed etiam Europæ, totiuſq; Orbis meditantis Imperium, ita fregit; vt non ſolum de Italia deſerenda, ſed etiam de relinquenda Patria conſilium inierit ſaluti oportunum. Hoc triumphali curru vectus Marcus Porcius Cato, Romanæ dignitatis ſeruator acerrimus triumphare non abhorruit. Macedonicam opulentiſsimam gazzam, ex vniuerſo olim oriente partam, præmittere vni Etruſco currui Titus quintus Flamminius non recuſauit. In hoc Etruſco curru exaltatus, ne dicam ob animi magnitudinem reclinatus Magnus ille Pompeius de Mitridate triumphans, quatuor Elephantis ductus viſus eſt, & quia in eo deuictarum prouinciarum deſcriptiones litteris ad notata viſebantur, victrix in curru, & quaſi Romanis victoribus dominans, Etruriæ imago repræſentabatur. Quid dicam in tercentis ac viginti triumphis, quos Roma cum iucunditate vidit, totties ſuas renouatas glorias Etruriæ in curru ſpectauit. Equis multoties triumphatores Elephantos, Leones, & Ceruos ſubſtituerunt, ſed ſemel acceptum triumphalem currum, qui binis traheretur rotis ſemper retinuerunt.

Toga, vt quidquid debeat longe lateq; imperanti Etruriæ Roma proponamus, quæ omnium veſtium longiſsima eſt, à qua togata gens Romani rerum Domini

fuere

*fuere appellati, Etruſcorum eſt inuentum, à quibus, & Prætextam ditiſſimus Quiritum populus accepit. Regium titulum Romani ſingulari odio proſecuti Trabeam tamen Regalem veſtem ab Etruſcis petitam induere non verebantur, ſicut pictas togas, quibus vtebantur Etruſci, ab eorum indumentis non excluſerunt.*

*Sed nihil ſublimius in hoc laudationis argumento excogitari poſſe crediderim, quam animo concipere, quod Tyberis Regiorum fluminum Rex, qui in ſuo ſinu Orbis terrarum excepit imperium, Regumque ac Prouinciarum Europæ, Affricæ, Aſiæq; tributa, quæ Romanis rerum Dominis pendebantur, proxime aſpexit, qui tandem tot triumphantium Ducum pompam in eius alueo recepit, ab Etruria oriundus, primaq; incunabula ab ea recognoſcens, ad augendam Romanæ Vrbis nobilitatem; ab hoc ingenuo fonte excurrat. Sed hiſtoriæ parentis Liuij incorruptum proferamus teſtimonium affirmantis Romanos ab Etruſcis Prætextam, trabeas, Faleras, Annulos, Pictas Togas atque palmatas, triumphales currus, Faſces Lictores, Tubas, Curuleſque ſellas accepiſſe. Addere liceat abſq; hiſtorici vlneratione teſtimonij, & Ceremonias, quarum nomen ad Chriſtianorum ſacrificiorum ritus peruenit. Jn his vero maiora deuictis Etruſcis victoriæ præmia Romanos fuiſſe aſſecutos, quam prædam, atque imperium fatemur, maximo etiam cum ſuperatæ gentis ſplendore. Sed & ſuperum inferumque Mare, quorum vndis vniuerſa cingitur Italia, & à quibus Eridanus Tyberis, atque alij Principes Auſoniæ Fluuij*

D

*excipiuntur, Prouinciæ nomen Turrhene primum, Adriæ Tuſcorum Coloniæ ſecundum denominationem ſortita, æternam conſeruant imperij imaginem. Vniuerſa Fabia Familia Etruria recepit ſepulcrum extincta ad monumentum æternum. Claudit Etruria ſplendorem ac robur Auguſti Adriani Molem, eius in quam Adriani qui ab Etruria reuocatus regimine ad culmen aſſumptus eſt imperij, eadem ipſa Etruria in Vulſinenſi lacu Amaleſuentæ Gothorum Reginæ demonſtrat ſepulcrum. At Vetulonia Deſiderij longobardorum Regis nouiſsimi, Regia illuſtratur. Languentem latinam linguam, multiſq; iam ſeculis ſeneſcentem excepit Etruſca, viuens de mortua miro Europæ conſenſu, Populorumq; fructu ſubſtituta eſt. Quæ Italiæ ſplendor, Gallorum deliciæ, Hiſpanorum maieſtas, Germanorum creditur ſolatium, Latini ſermonis æmula Græca, articulorum ornamento non diſſimilis elocutioni, auribus omnium accomodata, pronunciatione non difficilis, vnicuiq; Orationis generi reſpondens, amplitudine demum ſoluti ſermonis, & heroici carminis capax. Quam facile pueri addiſcunt, adoleſcentes hilari amplectuntur animo, Viri in arduis vtuntur negocijs, Senes quoque quorum friget ingenium, delectantur.*

*Sed quales Etruria ſub maximo eius imperio ſacros eoſque prudentiſsimos, ac ſapientes produxerit viros militarique gloria claros, Etruſci hominis ex ore attendite. Duodecim Lucomonum regimini diu mutatis vicibus ſubiecta Etruria, imperium opulentiſsimum rexit. Duo-*

decim Summis Eccleſiæ Pontificibus Etruſcis, vt eos excipiamus, quos breuitas temporis prius ad tumulum, quam ad Trhonum extulit ita Chriſtianum gubernauit Orbem; vt nihil ſanctius, nihil illuſtrius, nihil pro ſubiectis ſalubrius, poſt Barionæ Simonis regimen in Romana Eccleſia perpetua, & nunquam interrupta gubernatione acciderit. In Barionæ candidiſſimæ columbę filij nido, vbi recenter in plumes excluſi Eccleſiæ pulli, parentis morte deſtituti clamitabant, nouus ac diligens ab Etruria petitus nutritius, Linus Volaterranus repoſitus eſt. Qui volans terræ proximus ad ſublimem, ſacramque ſedem Apoſtolicam Spiritus Sancti euectus impulſu, Chriſti ſecundus in terris conſtitutus eſt Vicarius, niſi dicamus ab Etruria quaſi ab Etere fuiſſe ad regendum mortales aſſumptum, hic primus ex duodecim, quos ſelectos ex alijs, Etruria dedit Orbi Pontifices Maximos, moribus, ſapiētia, ac martyrio declarauit, orienti in vera amplectenda religione occidentem non eſſe ceſſurum, nec daturam Iudeæ Etruriam in recipiendo Euangelio locum. At ſi clariſſimus extitit in Romana Eccleſia Linus, non minor certe illo Ioannes, huius nominis primus, ex agro Senenſi Etruſcus ad regendam Eccleſiam ſurrexit. Qui Theodorico Arriano Gothorum Regi pro Catholicorum ſalute, & veræ fidei defenſione quaſi murus obiectus, martyrij palmam horribili carcere maceratus, impij Tyranni iuſſu conſecutus eſt. Sed in hoc noſtri ætheris duodecim celeſtium ſignorum circulo, altera non deeſt Etruſci Leonis immago. Hic vero ſapientia magnus, eloquentia maior,

*ſanctitate, puritateq; doctrina maximus adeo vniuerſæ ſatisfecit Eccleſiæ, vt eum ſanctiſſimum occidens veneratus ſit veritatis aſſertorem, orienſq; ab eo tanquam à diuino reſponſa acceperit oraculo in Conſtantinopolitano Concilio. Huius auctoritate, ac ſermonis eloquentia delinitus Vnnorum Rex ille ſequiſſimus Attila, iræ Diuinæ potentiſſimus miniſter, Dei inexorabile flagellum, Italici ſanguinis auidiſſimus, contemptor veræ Religionis, horribile demum naturæ monſtrum, qui quingentis hominum millibus ſtipatus in Cathalaunicis campis cum AEtio Romanorum du[illegible]ugnans victus, iterum reparato exercitu Italiam penetrauerat, & iam Romam euerſurus Padum tranſire parabat, Italiam deſeruit in ſuam Pannoniam reuerſurus. Hic eſt ille Leo, cuius laus maxima eſt apud omnes Eccleſias, & qui Magni à Sanctitate nomen, Chriſtiani Ciceronis ab eloquentia recepit. Gregorij Suanenſis, verius dixerim Senenſis altera ex principibus Etruriæ Vrbibus oriundi[illegible], in Etruriæ duodecim ſtellarum corona fulgentiſſimum ſidus apparuit, libertatis Eccleſiaſticæ vindex, index futurorum bonorum, horum quæ in Pontificio theſauro, non auro empta, ſed meritis redempta ex inde clauſit Eccleſia, cuius reſerauit clauiger ſeras. Hic ſupremis Eccleſiæ cardinibus, vt in electione futuri Pontificis obcluſum libertatis aditum, obſiſtente Auguſto reſerarent, imperauit, Eccleſiamque à ſæuiſſimo Henrici Imperatoris iugo ſubtractam ab omni ſimoniæ labe purgatam ſucceſſoribus reliquit, atque ſe ipſum candidiſſimorum morum, veræ ſa-*

*pientię, integræ ſanctitatis vniuerſo Chriſtiano Populo exemplum præbuit: Alterum Sena biſſeno Apoſtolorum Senatui Principem dedit Alexandrum ſolidiſſimum Romanæ Eccleſię murum, & totius Italię antemurale, quem omnis Schiſmaticorum exercitus, à quo quatuor eſt Eccleſia oppugnata luſtris ſub quatuor pſeudo Pontificum ductu, expugnare non potuit inuicti animi Principem vere Etruſcum. Hic enim quaſi alter animo Alexander apparuit, cum potuerit Fridericum potētiſſimum Cęſarem, veluti alium Darium vincere atque ita ſuperare, vt Pontificijs pedibus reluctantem ingenuus Petri ſucceſſor nobiliſſimo Venetorum ſpectante Senatu ſubiecerit. Jnter biſſenos, quos ab Etruria venientes Roma vidit fœliciſſimo agmine Cygnos, ex Senenſi Vrbe candidiſſimus, Paruus quidem cognomine Homo, Magnus ingente Siluius Æneas, Pius dignitatis nomine, nemini autem ſanctitate, ſapientia, atque eloquentia ſecundus non immeritò ponitur. Placido Olor iſte volatu per Florentia omnium diſciplinarum prata, ſelectos deguſtans ſapientiæ flores virenteſque carpens eloquentiæ frondes, excurrens ad ſuauiſſimos quos edidit cantus, non Italiam modo, ſed Germaniam, Galliam, atque Hiſpaniam excitauit, ipſe vero in ſinum ſummorum Regum, ac Principum exceptus, leni aura eleuatus ad meritas dignitates Spiritus Sancti impulſu, demum in Vaticano colle manſuetiſſimus, omnibuſque admirabilis Pontifex requieuit, Eccleſię gratus, Principibus carus, Barbaris Chriſtianæque fidei hoſtibus, quibus generale indixerat bellum fer-*

midabilis. Pacis vero, at concordiæ ita auidus, ac ſa-
pientium omnium ita obſeruator, vt omnis admiraretur
Orbis, quod in Paruò homine omnium includeretur vir-
tutum abſolutiſsimus cumulus. Jn portis duodecim cæ-
leſtis Hyeruſalem ab Etruriæ pelago, ex Senenſis Vrbis
virgini concha excluſa margarita tertij Pij, alterius
ex ſorore nepotis collocata, paruo temporis momento mor-
talium oculos, eius ineſtimabile pretium admirantium
detinuit; Quæ & ſi ſola Sponſæ Romanę Eccleſiæ maxi-
mum extitit decus, cum altera ſociata tamen, quam Pius
auunculus protulit perfectiſſimum adidit ornamentum.
Felices Arni vndæ, vnde fortiſsimus Leo florentiſsi-
mam, in qua accubuit foueam linquens exijt, qui ex ma-
gno animo veluti ex vngue agnitus, Princeps Eccleſiæ
factus, cunctos ad gloriam excitauit, ac prędatrices Gal-
lorum, Hiſpanorumque feras ſolo aſpectu ita conterruit,
vt fere Europam vniuerſam reddiderit viuens pacatam.
Eius enim ingentes ſpiritus vniuerſus obſeruauit Or-
bis. Clemens optimus animi medicus fortis in aduerſis,
clemens in proſperis, maxima in ſuo Principatu ſupera-
uit incommoda, vniuerſoq; in hoc declarauit Orbi plus
poſſe in ſanitate reſtituenda ſubiectis Clementem, quam
ſeuerum Principem. Vtrumque in Vaticana Sede con-
ſtituit Florentia Vrbs Etruriæ Princeps Pontificem.
Ne vero clementiam à Summis Pontificibus Etruria ſe
ablegaſſe declararet, Arnum iterum in Tyberim conri-
uauit, dum octauum Clementem ad thronum extulit Pon-
tificium. Hic vero intelligens, ſe ad totius Chriſtiani

*Orbis Principatum eſſe euectum, clementiam à natura am ex principibus virtutibus imperantibus datam eſſe agnoſcens, quanto maior ſe illi obtulit materia amplitudo, tanto hilarius ſub nomine clementis ſacrum auſpicatus eſt Pontificatum. Hanc ipſam nobilem virtutem Heroico nomine, toto regiminis tempore, quod etiam ipſa clementia protulit pluſquam natura promitteret retinuit. Intellexit enim prudentiſsimus Pontifex, a Clemente Principe omne effluere bonum, ex eius reſponſis letitiæ cauſas populos, Vrbes, Prouincias, omnemq; Chriſtianum Orbem accepturum, nullumq; ex ſubiectis, niſi eo propitio poſſe florere. Quaſi igitur ſolus ex hominibus Deo placuiſſet, & Sancti Spiritus electus eſſet afflatu, cui animarum ſtatus committeretur, vt Dei vice fungeretur in terris, ſeueritatem in abſcondito animi, clementiam vero in promptu habuit; ita vt naturæ vt plurimum, ætati ſæpius, nobilitati aliquando, ſexui quandoque, multum dignitati parcens; & ſi miſericordiæ deeſſet materia, vindicta parſimonia pepercerit. Ex quo factum eſt, vt vere à Clemente Principe omnes eandem ſperarent in beneficiorum profuſa largitione boni, in delictorum remiſsione mali clementiam. Sed cum nihil fortius Leone, nihil tamen melle dulcius Romæ apparuit, cuius fauus non ſolum de labijs viuentis ſtillauit, ſed etiam de mortui ore, vetus ſoluens problema, egreſſus hucuſque conſeruatur in Vrbe. Summus hic Pontifex electus alter vere Alexander de vtero gloriæ tranſlatus ad tumulum, maximum ſui deſiderium re-*

liquit. Iam ad Paulum currens noſtra deuenit oratio, quem ſi Senenſem dixero, nobiliſsimum declarabo, Burgheſia Familia Patritia ortum, ſi Etruſcum antiquiſſimę vtraquę Religionis eximium profeſſorem pronunciabo, ſi Romanam magnanimitatis ſectatorem, interimum moribus, ſummæ Pontificem innocentia, Chriſtianaque Reipublicæ munificentiſsimum parentem, Romanæ Vrbis reparatorem clariſsimum deſcribam, quaſi nouum Auguſtum, qui lateritiam, quam inuenit Romam marmoream reliquit. Veterem enim Vaticanę Baſilicæ formam in nouam ſplendidiſsimamque inchoatam ſpeciem ingenti mole abſoluit. Palatium cum pontificijs aulęis Regiaque audientia à Simaco olim conſtructum in ſplendidiorem ſtructuram compoſitũ, & ob id dirutum; à fundamentis reſtituit. Sanctæ Mariæ ad Præſepę Regium Sacellum opere ædificauit pene diuino: Et cum ab Vrbe condita per quatuor integra ſecula hauſta ex Tyberi, reliquiſque fontibus aqua, Romano inde aucto Imperio Appia aqua, Martia, Tepula, Iulia, Virgine, Auguſta, Claudia, vterentur Quirites, Romanus vere Princeps Paulus redintegratis aquę ductis, per immenſa terræ ſpatia vallibus adęquatis; montibuſque effoſsis fluentis aquæ flumina intra Vrbem deducens, per vniuerſas illius regiones copioſiſsimè diuiſit, vt latus modo excurrat Tyberis Camilli Burgheſij dominationem expertus. Quaſi nouus Aaron ſacras has duodecim gemmas Pontificũ geſtauit in pectore, ſacrum veluti compendium feliciſsime duodenario expleto numero ipſe de-

cimus

*...us: Hic enim veluti nouum Sidus æthere quaſi ...ua generet aſtra, emicuit dum Etruria Vrbanum ...guſtiſſima Florentia, hac noſtra Florenti ætate ... conceſſit Pontificem, qui quaſi non eſſet Romæ ... V... ſelecto nomine, ingenuum eius ani- ...ximos ſpiritus inuictam conſtantiam, Vr- ...ſtatem declarare vnico nominis, eoq; præcla- ...ento non recuſauit. Clariſſimum hoc nomen ...it tibi Roma ſummæ felicitatis, iucundæ ſapien- ... feſtiuiſſimæ tranquillitatis, triumphantiſq; lætitiæ. ...t ſi ſub Lino veræ Chriſtianæ ortum religionis contra ...rannos, in Ioanne ſecura contra Barbaros incunabu- ... orthodoxæ fidei Roma aſpexit, ſi ſub Leone maxima ...ei incrementa aduerſus hereticos eſt experta, & ſub ...regorio adulta ſtatutum aduerſus Imperatorum tyran- ...dem, perfectiſſimum, ſi in Alexandro vires, quaſi iuuentutis contra ſchiſmaticos adepta. & ſi Pij religionis conſtantiam in reſtituenda Chriſtiana Republica, ac Leonis inſeneſcente Romano Imperio, animi maximum, inuictumq; robur agnouit. Clementis in reſtituendis Eccleſiæ membris prudentiam; viuidum ſpiritum Pauli in confirmando ſummæ Religionis capite Romano, atq; auguſtiſſimum animum vidit. Ipſa Vrbium princeps in ſolo Vrbano cuncta hec maiora ſimul cumulata fuiſſe, ſi plures illi cumulentur anni beneficia, Etruriæ beneficio intelliget. Hic enim ſeruata cum Catholicis pietate, cum ſubiectis beneficientia, cum ſapientibus magnanimitate, cum Principibus, ac Regibus maieſta-*

*te, cuncta donis gratiſsimis, profuſis largi exquiſitis beneficijs, ac perpetuis gratijs toto p... be diffuſis repleuit, Urbanus ſemper atque fe... Piſanum, Eugenium, ac luce clariorem Lucen cium Pontifices ſummos, & ſi à comp...tio ci rauimus, ab etruſca tamen eos non excludimus Mediceum genus, quaſi Iani, atque Herculis Tuſcia proſapiam renouaturum, ſapientiſsimos litari robore fortiſsimos edidit viros clariſsimos L Coſmum Patriæ Patrem Reipublicæ Florentinę priua tiſsimum moderatorem. Coſmum item ſecundum ve Microcoſmum, Ducem Etruriæ Magnum, tranquilli tis italicæ auctorem, qui ſtrenuorum militum Magn Magiſter Pontificis Summi decreto declaratus eſt, eorum inquam, qui quaſi purpureæ Crucis ſigno, quaſi Chriſti ſanguine obſignati, Sacro Sancto Pontifici Maximo Martyri Stephano nomen dederunt, à Chriſtiano Principe ex omni nobilitate ſelecti, ad totius Italiæ ornamentum, ad vniuerſæ Europæ præſidium ad Mediterranei maris à piratis infeſtiſsimis turbati purgationem, & à Thraciæ iniurias Chriſtiano orbi illatas propellendas; fideiq; demum vexillam maritimis Aſiæ, atque Africę oris reſtituendum deſtinati. Franciſcum poſt eum bonarum Artium placidum reſtitutorem. Magnum quoq; Ferdinandum ingentis ſpiritus, & excelſæ maieſtatis regnatorem vniuerſæ Europæ conſpicuum; Coſmum lectiſſimum Filium, quem ætherei potius Regni Ciuem, quam Etruriæ principem dixiſſe non longe erit à veritate, &*

*-rdinandum, quem orbis vniuerſus admira-
-igna Indolis adoleſcentem, & admirabilem Vi-
-ſtat. Hos veluti naturæ miracula, artis to-
-urâ erexiſſe admiranda cognoſcimus. Cele-
-tica Coſmus, Illuſtrem tota Italia Acade-
-quiſitis ſelectis voluminibus, euocatis vndique
-is excitauit. Magnus Etruriæ Dux Coſmus
excelſa mole, opere exquiſito, ſelectis lapidibus
-itatem extruxit, Regioque impoſuit, vt regeret
-modius ſubiectos, flumini. Franciſcus, mirum dictu,
ad Pictorum exemplar inchoatum Palatium, Principum
Etruſcorum Regiam, Vaticanis ædibus maieſtate parem,
-ctum atque exornatum Mediceis Sereniſſimis habitan-
-m conſtituit. Ferdinandus vero animo ingens, ac Me-
-icei ſuperator ingenij, aliorum non minus quam ſui ipſius
-ictor Liburnicam arcem, totius Tyrrheni maris propu-
gnaculum miro fortitudinis exemplo munitam addito am-
pliſſimo portu, totius Orientis, Occidentiſq; Emporium de-
ſtinauit. Coſmus Cælum meditatus mirabile Diui Lau-
rentij Sacellum orientalibus gemmis, pario lapide inſertis,
varijſq; ſignis, atque imaginibus ornatum, Regium vere
opus conſummaſſet, niſi eum immatura mors intempeſti-
ue ad exitum perduxiſſet. Ad Florentiæ Vrbis conſpe-
ctum in virentis Collis mitiori parte Imperialem villam
Cæſareo ſanguine genito Ferdinando Filio Maria Ma-
gdalena Auſtriaca Mater erigi exornariq; ſumma impen-
ſa curauit, vt Auguſtiſſimum Sereniſſimæ Principis
oſtenderet animum, quæ longe pretij magnitudine, ædifi-*

ciorumq; maieſtate ſuperbam molem Neron
num fundum, Romanorumq; alias inſtructas vi
raſſe non eſt dubitandum. Jam Regia egreſſ
celebrem ſapientiæ Areopagum; quem
narum aperuit Etruria, acceſſura noſtra
tio. Etruriæ accepto refert legalis philoſop
dum Senenſem Cardinalem, Canonum
eximium, Accurſium gloſſatorum Principem
tinum, Baldum, ac fratres vtriuſque iuris in
ſubtiliſsimos Peruſinos, Dinum Mugellanum, ac
ſtorienſem Cynum iuris prudentes antiquiſsimos, Ca-
ſtrenſem Paulum iuris profeſſorem ſincerum, Senenſes
in omni iuris parte verſatos Soccinos. Jn Philoſophi
alterum Platonem Ficinum, moralis reſtitutorem Diſ
plinæ, ac Peripateticæ Dignitatis conſeruatorem Al
xandrum Picolomineum, Philoſophorum noſtra æt.
Principem Franciſcum pariter Picolomineum Senenſes
alioſque, quos in omnibus diſciplinis claros celebraue-
runt Hyſtoriæ. Elegantis vero noſtræ viuentis linguæ
preceptores nouo partu ſola Etruria peperit Franciſcum
Petrarcham, Boccaccium, Dantem Florentinos, à qui-
bus optimi purgatiſsimique ſermonis inſtitutionem vni-
uerſus excipit Orbis. Jmagines Giotti, Michaelis An-
geli, ac Dominici Beccafumi ipſa eadem Etruria effin-
xit, & ad eternitatem ſculpſit. Eloquentiſſimos Etru-
ria numerat Oratores Eneam Siluium Pontificem Ma-
ximum Picolomineum, Poggium Florentinum. Et
vt vno omnes vnius Prouinciæ ſapientes compendio in-

*ijs Senenſi Piſana, ac Peruſina numero Greciam dignoſcimus manus ad arma ad moueamus, oſtrę Prouinciæ campis Brachius, ac militares Tuſciæ Duçes, & Brachia-ecerunt. Ioannes Medices & ipſe Etruſcus ummopere cuſtodiens ita ad perfectam ſegetem, vt iam iam Romanæ militiæ vbertas, cum in-Militaris Etruſcę fructu, maximaq; cum gloria ata videatur. Quam vt barbaris terrorem incuteret Magnus Ferdinandus primus armatis triremibus, Orientis Occidentiſq; littora excurrens ſummo ſtudio, ofuſa largitione, atq; prouidentia ita illuſtrare curauit, Tirrheni maris nomen, hoc ſeculo redintegrata fama, tutum eſſe cognoſcamus. Iam ad gloriæ metam cita-preſſu præcurrens Etruria feliciſsimis Italiæ campis peratis, Medicea Catharina, ac Maria Sereniſsima-um Fæminarum manibus Regiam maieſtatis ſedem eam tenuiſſe in Gallia aſpeximus. Et iterum Auſtris Flantibus Sereniſſimæ Mariæ Magdalenæ ex Ceſarea Domo ingenti ſpiritu recreatam eſſe Prouinciam cognoſcimus Magnæ Chriſtinæ Lotaringiæ gemina proles Catharina, atq; Claudia OEnipontum; ac Mantuam Sereniſsimo illuſtrauerunt ſplendore. Vnde ad illud gloriæ culmen Etruriam perueniſſe affirmare poſſumus, vt religione Paleſtinam, fecunditate AEgyptum, facundia Greciam, animi conſtantia Hiſpaniam, Populorum ferocia Galliam, Prudentia reliquam Italiam ſuperauerit.*

*Romanos ipſos eloquentia, mi[...]
bus omnibus ita adequauerit, vt
militaris diſciplinæ norma, pa[...]
exemplar, Sanctitatis denique (alun[...]
tis orbe barbaris, Indis, Sinys, atqu[...]
videatur. Hoc vnum ſupererat feliciſsim[...]
bus, vt quaſi delitiarum ortus, ac Paradiſus[...]
Vniuerſi Orbis conſenſu crederetur, qui Aldo[...]
cæli propitio fecundaretur aſpectu, Burgheſijqu[...]
Draconis tegeretur cuſtodia, ac Barbaræ Apis mell[...]
fauo lætificaretur. Ferdinandi vero Medicei Sereniſsimi Adoleſcentis viuido flore, Beatiſsimi Pontificis Vrbani Sanctiſſimo, ac feliciſsimo fructu recrearetur.*

*Ego vero, Orationis, quæ deſſunt partes, historiæ commendans, integra ſemper Catholica veritate, quam profiteor, dum ad ſanctiſſimos Vrbani Etruſci Pontificis Maximi prouolutus pedes, Sacroſanctam eius inclinatus veneror maieſtatem, Etruriæ natalis eius Soli, laudum exiſtimo me feliciter abſoluiſſe compendium.*



99 962261



Mei